

Cartulaire de Marmoutier pour le Dunois, Cartularium Dunense Maioris Monasterii Nr. 43

Noverint nostri praesentes et posterius Odonem de Bussello donasse Sancto Martino et nobis, sui Maioris Monasterii monachis, rogantibus fratribus nostris, Fulcone et Gaufredo, filio Alberici, ex bosco suo de Salmerico et de Lata Aqua, quantum operis esset ad calefaciendum monachis de Maceriis, et pasnaticum ex porcis eorum dominicis, atque ad piscandum aquam suam de Salmerico totam. Cuius donationi annuit uxor ipsius Richildis, et testes affuerunt isti: Gualterius, presbiter de Domniolo, Gaufredus, frater eius, Mathelinus de Broillo, Airardus, filius Hugonis, Guarinus et Landricus, filii Gausberti, presbiteri de Buslo. Actum anno ab incarnatione Domini M^o LXX VIII; praesidente nobis domno abbate Bartholomeo anno XVI^o.